

nato, sine prævisione illis contingant, tanta animi confidentia efferuntur, ut sæpenumero ob id in poenam superbiæ meritò impingant. Non enim minus difficile est, se constantem & æquali animo in rebus secundis, quam adversis præbere. Hanc autem constantiam & fortitudinem longè melius præstabit, qui futura multo ante præviderit.

Peroratio.

Hæc de prædictionibus Astrologicis prolixius in mediū adduxi, quod hæc ut plurimum, non solū à vulgo, quod omnes artes æquali odio prosequitur: sed à quibusdam etiam eruditis hominibus in dubium vocentur: Quamvis sola artis ignorantia eos excusare possit. Pergunt enim arti contradicere, cujus principia summis labris non degustârunt, & cum in aliqua cognitione excellunt, de omnibus alijs rebus, quamvis ab ea cognitione longè distitis, sibi iudicium arrogant. Solus Picus Mirandula Astrologiæ gnarus eam ex proprijs Apotelesmaticis convellere aggressus est. Sed hujus objectionibus Lucius Bellantius erudito scripto jamdudum respondit: Et ipse Picus mortuus anno ætatis 33, quem tres Astrologi illi fatalem ex directione ascendentis ad corpus Martis prædixerant, Astrorum efficaciam, quam infringere voluit, nimis certo eventu, proprio interitu comprobavit. Atque hæc de Mathematicis disciplinis, ipsaque Astrologia, generaliter & tenui Minerva, hoc loco & tempore sufficienter dicta sint.

Restat nunc, ut vos mei instituti certiores faciam. Cum itaq; Regiæ Majestatis & vestræ petitioni nunc obtemperare, & quædam in Mathematicis scientijs publicè proponere decreverim: Nihil mihi visum est commodius, & è re discentium utilius, quàm alteram Astronomiæ partem, quæ motus secundi mobilis complectitur, breviter tradere: Cum primi mobilis doctrina per se facilis sit, & aliàs in hac Schola sæpenumero prælegatur. Id autem hac ratione absolvere constitui, ut modum supputandi veros Planetarum motus, ex Tabulis Prutenicis, quæ in hoc negotio sunt exactissimæ, ostendam, unaque Circulorum, quibus Planetas moveri imaginamur, & ex quorum supputatione numeri Tabularum supputati sunt, cohærentiam, ac ordinem demonstrabo: Ut hac discendi methodo pulcherrimus fructus doctrinæ secundi mobilis, quæ motum septem errantium stellarum complectitur, vobis innotescere possit.

D I X I.